



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. De beneficio seu privilegio competentiae, quod datur Clericis  
debitoribus, qui non sunt solvendo?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

sumatur, quòd ex industriâ suâ, aut ex patrimonialibus sustentationem suam accipere velit. Quòd si tamen nulla Patrimonialia, aut quasi patrimonialia reliquisset, successor quidem in beneficio ex bonis Ecclesiæ dissolvere debita talia deberet, si Ecclesiæ onus hoc ferre posset, propter unionem, quæ est inter beneficium, & beneficium; vel dissolutionem talium debitorum aliunde procurare Episcopus deberet. Praxis hodierna videtur esse, ut, si nulla patrimonialia bona, aut quasi patrimonialia reliquit beneficiatus, qui pro sua congrua sustentatione debita contraxit, fructus beneficii interea in Arresto ponantur, & creditori assignentur, dum debitum persolutum sit; Ecclesiâ scilicet indulgente hoc pauperi Clerico, ob honorem Clericalis status, ut talia illius debita ex Ecclesiæ redditibus dissolvantur.

## §. IV.

*De beneficio seu privilegio competentia, quod datur Clericis debitoribus, qui non sunt solvendo?*

Clericus ob debita Civilia, si ea propter inopiam solvere non possit, in totum, vel pro parte, non debet excommunicari, nec incarcerari (nisi dolose decepit creditorem, fingendo v. g. se Laicum, cum esset clericus, aut negando debitum, in tali enim casu incarcerari potest, non propter debitum Civile, sed propter dolum) nec aliter molestari, neque ad cessionem bonorum compelli potest, aut conveniri à

creditoribus, nisi in quantum facere potest, deductis scilicet alimentis, ne egeat, modò idoneam cautionem præstet, quòd solvere velit, si ad meliorem fortunam pervenerit, prout statutum habetur in *c. Odoardus 3. h. 2.* & hoc beneficium Clericis liberaliter, & valde gratiosè à jure Canonico concessum, vocatur privilegium, seu beneficium competentia; ad quod tamen, ut cogaudere quis possit,

Requiritur primò, ut sit Clericus non conjugatus, & si in minoribus tantùm constitutus sit, aut primâ Tonсурâ initiatus, ut habitum Clericalem, & Tonсурam deserat, neque publicè pro Laico se gerat, abjecto Clericali habitu &c.

Secundò requiritur, ut propter inopiam solvere non possit, sive in totum, sive pro parte, si enim partem solvere possit, ad hanc solvendam potest cogi debitor Clericus, & ad admittendam partialem hanc solutionem cogi potest creditor. Tertio requiritur, ut constet de inopia, ob quam solvendo non est, vel (saltem præsumptivè ex fama, communi hominum existimatione beneficii tenuitate &c.) probetur ea. Quarto requiritur, ut conveniatur ratione debiti in causa civili; si enim debitum ex delicto esset, capl & incarcerari posset, neque prodesset ipsi hoc privilegium competentia. Quintò requiritur, ut conveniatur actione personali, nam conventus actione reali, non potest gaudere hoc privilegio. Sextò requiritur, ut recognoscat debitum, sive confiteatur, neque enim negans debitum, de quo postmodum legitimè convictus fuit, dignus est hoc privilegio; & ex hac etiam

ratione putant aliqui, inopiam & impotentiam solvendi provenire non debere ex culpa clericici, quod prohibitis v. g. ludis, commestationibus, aut aliter luridè vivendo beneficij sui redditus dissipaverit, eò quòd talis indignus hoc privilegio videatur: meliùs tamen fortassis distinguunt alij, & concedunt non gaudere hoc privilegio Clericum, si dolus intervenit in tali dissipatione, eò quòd v. g. confusus de hoc beneficio debita contraxerit, aut ex intentione mala in fraudem creditorum bona sua dissipaverit &c. ne occasio præbeatur tali malitiz; negant verò hoc privilegio illos privari, qui ex culpa quidem sua ad inopiam talem devenerunt, non tamen cum formali dolo in fraudem legis. Seprimò denique requiritur, ut talis præster cautionem idoneam (fide jussoriam aut pignoratitiam vel in defectum juratoriam juxta supra dicta) de solvendo, si ad pinguiorem fortunam venerit, eò quòd per privilegium hoc, aut inopiam debitoris, non extinguatur debitum, sed solutio illius tantum suspendatur. Videatur de aliis etiam casibus exceptis, in quibus hoc privilegio non gaudent Clerici, *Barbosa in citat. cap. Odonardus.* ubi etiam videri potest, quòd privilegio huic renuntiare, nec cum juramento possit Clericus, cum in favorem, non singulorum Clericorum in particulari, sed totius Ordinis Clericalis concessum sit, & juramentum additum non sit vinculum iniquitatis, ac cadente principali non subsistat.

§. V.

## De solutione indebiti.

**T**Riplici potissimum modo dicitur aliquid indebitum. Primo potest solvi aliquid, quod nec juramento, nec civili debitum est, & hæc cantur tam naturaliter, quam Civiliter indebita. Secundo potest solvi aliquid quod civili tantum jure, non naturali debetur, quod civiliter quidem debitum, naturaliter autem indebitum dicitur. Tertio potest solvi aliquid, quod solvendum, naturali quidem debetur, non autem jure Civili, & propterea civiliter indebitum dicitur. Qui ergo solvit id per errorem (sive facti hic fuerit) quod naturali, nec naturaliter, nec civiliter debetur, aut qui per errorem talem solvit, qui civiliter quidem, non tamen naturali debetur, solum ex tali errore, conditionem indebiti, repetere potest, æquitate scilicet naturali non permittente, ut quis cum jactura alterius locuteretur, & error juris non noceret, damno vitando agatur. Quod si solvit aliquis id, quod jure quidem indebitum est, debetur tamen naturali, tunc si solvit per errorem ignorantiam facti (modò ea non crassa aut supina) solum repetere potest; si autem solvit per errorem juris, repetere non potest (quia juris ignorantia ad lucrum non prodest) nisi si persona juris ignorantia toleretur, præ pluribus hanc materiam tractant, & applicanc Civiliter, asserentes iniquitate genere, solum repeti non posse, nisi indebitè solutum, si quis sciens, &c.